



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

Cap. VIII. De mari Parthenio, seu sinu Virginis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

Torrens Ciffon appellatur. Cap. autem 14. *Cypro* admouetur ab Occidente. Strabo tamen ab vrbe *Iffo* ad *Orthofiam* deducit.

PHOENIGIVM excipit Syriacum, & *Phœnicum* à Plinio vocatur. Παρολίαν Φοινίκην Strabo lib. 16. & ab vrbe *Orthofia*, *Pelufium* vsque promouet. Huc quoque pertinent quæ diximus de SIDONIO Dionysij in *Iffico*, quod vsque ad *Casium* montem Ægypti promouet, & *Phario* mari connectit.

IONIVM hîc constituit Eustathius in Dionysium à *Gaza* Ægyptum vsque; propterea quod quidam Gazam *Ionem* vocent; ideòq; in eâ vrbe statua Ius seu Lunæ colebatur sub formâ bouis:

Ἰὼ γὰρ ἡ Σελήνη ἐν τῇ Ἀρχαίᾳ διδάλεται.

ÆGYPTIVM Dionysio, & Poëtis Mare PHARIVM, à *Pharo* insulâ Alexandria Ægypti adiacente, diuersos à diuersis terminos accepit. Nam iuxta Ptolemæum attingit *Cyprum*. Apud Strabonem *Egeæ* copulatur. Ab Oriente extenditur ab Eustathio ad *Sinum Ifficum*: Ptolemæus *Corseo* Fl. hoc coërcet; Dionysius à *Casio* Monte ad *Sirbonidem* paludem extendit. Ab Occidente denique apud Ptolemæum ad *Axillam villam* promouetur; ab aliis ad *Catabatum*, ab aliis *Ægypto* tantum coextenditur.

CAPVT VIII.

De Mari Libyco.

MARE quod Africam alluit à Septentrione Libycum dicitur; quia Græcis Africa *Libya* est. Ita protensum mare ab Ægypto ad fretum *Gaditanum* LIBYCVM vocant Mela, Plinius, Strabo, in quo Libycum propriè dictum, Africanum; itémque partes Sardoï & Iberici reperimus.

LIBYCVM propriè dictum, limitem habet ab Oriente Ægyptum, & apud Ptolemæum lib. 4. cap. 3. extenditur ab *Axillâ villâ* ad intimam *Syriam Maiorem*, hoc est, *Phileni villam* (aliis *aras*) ultra quam Ptolemæus Mare Libycum non promouet. Apud eundem lib. 3. cap. 17. ad *Crete* australia propagatur: itaque ad Peloponnesum non excurrit, sed restringitur lineâ à *Pachyno* Pro. ad *Cornu Arietis* *Crete* deductâ: quandoquidem disertè asserit lib. 3. cap. 17. Peloponnesum à meridie *Adriatico* perfundi.

AFRICANVM Ptolemæo, Melæ *Africum* à *Villâ Phileni*, in-

Q

timóque *Syrtis Maioris Sinu* ad Fluij *Ampfage* ostia protenditur, & inde ad *siciliam Sardiniamque* procurrit iuxta descriptiones Ptolemæi. De *Sardinia* asserit idem Mela. Quidam tamen Dionysium credunt *Siculum* mare ad *Syrtis* vsque promouisse; sed hi verba Dionysij non satis intellexerunt.

Ptolemæus autem lib. 4. cap. 3. illud mare *Africanum* in tres partes seu Sinus diuidit, *Syrtim Maiorem*, *Syrtim Minorem*, & *Sinum Numidicum*: *Maiorem* cœrcet *Phleni*, & *Macomaca* villis: hinc ad *Tanam* urbem *Minorem* describit: reliquum tribuit *Sinui Numidico*, quem & promouet cap. 3. In *Mauritaniam Cæsariensem* ad *Audum* Fl. vel potiùs Promontorium.

De *SARDDO*, & *IBERICO*, quorum partes saltem *Libyco* adscribunt Mela, & *Plinius*, satis egimus cap. 4. huius libri.

CAPVT IX.

De Ponto Euxino.

HOC Mare perillustre ob fabulosas expeditiones, ideóque *Herodotus* in *Melpomene* hoc ἀξιοθέτω, & θαυμασιώτατον appellat. De quo sex expendemus.

§. 1. De nomine huius Maris.

OMITTAM hie multa παραρρησά quæ tibi suggeret *Stuchius* in *Periplum Arriani*. Dictum est hoc mare.

Primum *PONTVS* κατ' ἐξοχὴν, vt ait *Strabo* lib. 1. Quia in eum quicumque nauigarent periti habebantur *Nautæ*. Dicere autem cum *Bocatio* libro de *Fluminibus*, & *Maribus*, sic appellatum esse quasi *Pontem*; quod hyeme concrefcens pedibus euntium teratur; vel à *Potu* quòd dulcescat aquis *Fluminum* influentibus, *Grammaticorum* more nugari est.

Secundum *EVXINVS*: vel ex *Antiphrafi*, vt ait lib. 22. *Amnianus Marcel.* quasi *Ironice* ἄξενος, vel ἀξενος, vnde *Quidius*,
Dictus ab antiquis *Axenus* ille fuit.

Et κατὰ ξενος, quia *Tauri* eius accolæ *Dianæ Orchilochæ* *Hospites* huc delatos immolabant, & in eorum *Cranis* bibebant; vel sine vlla *Antiphrafi* ob alios mores illatos ab *Ionibus*, vt vult *Strabo* lib. 7.